



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

I. Quod decimae pro temporalibus non sunt commutandae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

absque contradictione qualibet habeatis, nec præfatus præpositus super possessione aliquatenus vos audeat de cetero fatigare.

C A P. V. *Idem abbatii Riuallis, & priori de Bridi.*

Dilecti filii nostri abbas & fratres de Neuhus, transmis-
sa nobis insinuatione literarum, monstrauerunt, quod cum
causa quæ vertitur inter ipsos & abbatissam & moniales
de Elnestou Vesteæ, super ecclesia sancti Petri de Altun,
quam prædicti fratres diu canonice & inconcusse, sicut
afferunt, possederunt, & adhuc possident, dilectis filiis de-
cano Linc., & archidiacono de Bedeford ad suggestio-
nem nuntii monialium prædictarum commissemus fi-
ne debito terminandam, prædicti fratres timentes a iudi-
cibus grauari, eo quod ad primam citationem diem sta-
tuerunt peremptorium, ad audientiam nostram appella-
runt, sed ipsi nihilo minus ecclesiam interdicto supposue-
runt. Quia vero non spectat ad iuris ordinem, diem perem-
ptorium, maxime cum de rebus ecclesiasticis agitur, nisi
maxima ingruente necessitate, ita maturare: neque inter
eos qui contumaciter se absentant, sententiam taliter pro-
mulgare, nisi quod aduersa pars in possessionem mittatur,
ut sic tædio affecti, iustitiæ stare cogantur: F. T. &c. qua-
tenus partes ante præsentiam vestram conuocetis, & rei
veritatem diligenter inquiratis: & si vobis constiterit,
quod memorati fratres præfata ecclesiam canonice fue-
rint adepti, eosdem fratres ipsam ecclesiam ab interdicto
solutam, sub app. re. pacifice possidere faciatis, & aduer-
sa parti silentium imponatis.

Pars IV.

DE DECIMIS PRÆSTANDIS.

C A P. I. *Idem Cufano episcopo.*

INTELLEXIMVS ex literis tuis, quod R. de * Lantino pa- ^{Lantino}
rochianus tuus, tamdiu, scilicet sex annis, decimas ca-
pellæ suæ tibi detinuit, afferens quod in commutatione
ipsius decimæ, prædecessori tuo reditus quarumdam dedit
villarum, quos etiam tibi vult assignare. Ceterum quia
decimæ cum temporalibus non sunt commutandæ, at-
tendentes, tibi auctoritate præsentium inhibemus, ne præ-

Perempto-
rium ad pri-
main cita-
tionem,
non nisi ex
magna ne-
cessitate
proponen-
dum.

ANNO
CHRISTI
1179. scriptos redditus in ipsius decimæ commutationem præsumas recipere: sed prædictum R. ad restituendas decimas subtractas tibi, & ad eas soluendas in posterum ecclesiastica districione compellas.

CAP. II.

Idem Cantuariensi archiepiscopo, & eius suffraganeis.

Peruenit ad nos, quod cum parochiani vestri decimas bonorum suorum consueuerint ecclesiis, quibus debentur, persoluere: nunc tam laudabili consuetudine prætermissa, quidam ex ipsis de lana & de feno & de prouentibus molendinorum & pisciarum ipsis ecclesiis subtrahere non verentur. Quoniam igitur institutioni diuinæ manifestius obuiant, qui decimas ecclesiis non persoluunt, F. V. &c. quatenus parochianos vestros monere curetis, & si opus fuerit sub excommunicationis districione compellatis, vt de prouentibus molendinorum & pisciarum & de feno & de lana decimas ecclesiis, quibus debentur, omni occasione & appellatione cessante, cum integritate persoluant.

CAP. III. *Item Wintoniensi episcopo.*

Nuntios & literas tuæ fraternitatis ea qua decuit benignitate recepimus, & petitiones tuas, quoad licuit, cœravimus exaudire, sicut illius personæ quam pure in Domino & feruenti caritate diligimus, & cuius commodis & profectibus intendere volumus diligenter. Cum ergo ad officium tuum spectent ea, in quibus præcepti nostri desideras auctoritate muniri, tanto in his facilius debuisti exaudiri, quanto ipsa eorum specialius salutem respiciunt, de quibus in extremo iudicio redditurus es rationem. Inde est quod F. T. &c. quatenus tam comites quam barones, nec non & milites & omnes alios de parochia tua moneas propensius & inducas, vt appellatione cessante & * E. D. C O N. vt decimas matricibus ecclesiis de diuiniis suis cum omni integritate persoluant. Præterea parochianos vestros de feno equitio, pomis & pyris & apibus & omni fructu decimas soluere ecclesiastica districione, appellatione cessante, compellas.

Concil. Tom. 27.

Ttt iiij